

P. II. Cap. V. Nobiliana Italiam, quam aliam quamlibet reperiri posse. Quod mat-
de Versione turum exactumque tanti Viri judicium eo amplectimur liben-
Vulgata La- tius, quo majus Vulgatæ suæ pretium, vel ex ipsius Italæ inta-
tina. minato honore conciliare, ecclesiæ Romanæ doctores alias con-
siveverunt. Quo pacto autem curatius restitui ex fragmentis
Vetus illa Itala versio possit, specimine exhibito docuit Dan.
Whitby in *appendice examinis Variant. Lectionum Millii in N. T.*

II. Jam ex iis, quæ dicta sunt, liquet, non unam ante Hiero-
nymum versionem Latinam hominum manibus fuisse tritam, sed
innumeras fere, in quibus principatum saltem tenuit vetus, sive
communis. Unde Augustinus de doctr. Christ. lib. II. cap. XI. La-
tinorum interpretum infinitam varietatem memorat: & paulo post:
*Qui Scripturas, inquit, ex Hebræa lingua in Græcam verterunt, nume-
rari possunt, Latini autem interpretes nullo modo.* Ut enim cuique
primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, & aliquantulum
facultatis sibi utriusque lingvæ habere videbatur, ausus est interpretari.
Pariter Hieronymus prefat. in Josuam: Maxime ait, cum apud La-
tinos tot sint exemplaria, quot codices, & unusquisque pro arbitrio suo,
vel addiderit, vel subtraxerit, quod ei visum est. Atque hæc ratio
cum alias movit, ut precibus & adhortationibus Hieronymum
instigarent, tum ipsum Hieronymum, ut laborem istum ne desu-
geret, & nunc veteres corruptosque codices Biblicos emacula-
ret, & ad Græcam versionem corrigeret, nunc novam ex Hebræo
translationem ipse adornaret. Primam ergo manum versioni La-
tinæ IV. Evangeliorum admovit, mox ad reliquos Novi fœderis
libros progressus, eosque omnes ad primos fontes suos ita revo-
cavit, ut se Novum Testam. Græcæ fidei reddidisse, sub fin. Catalogi
scriptorum Ecclesiast. rursusque in Epist. XXVIII. ad Lucinium, se Te-
stamentum Novum Græcæ reddidisse auctoritati perhibeat. Hinc ad
Psalterium se contulit, ejusque veterem Versionem ad Græcam
LXXviralem exegit & castigavit: quæ ubi paulo post, ex librari-
orum negligentia, vitium denuo cepisset haud unum, non mo-
do e Græco correctam iterum dedit, verum etiam, quæ deerant,
juxta codices Hebræos supplevit, Origenis exemplo additis aste-
riscorum notis, & quæ abundabant, obçlo jugulavit. Quod in
pro-